

**Homo respectu physiologico : dissertatio inauguralis medica ... / auctore Ignatio Seidner.**

**Contributors**

Seidner, Ignatius.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Budae : Typis Joannis Gyurián et Martini Bagó, 1844.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gjjq2rer>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

32

H O M O

RESPECTU PHYSIOLOGICO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA.

AUCTORE

IGNATIO SEIDNER,

MEDICINAE DOCTORF.

---


B U D A E,

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.

1844.

Nullius Scholae nomen ferat Medicus, nulli sit addictus, nulli adversus; nam in quocunque Systemate invenit aliquid boni, quod colligat, et unam sibi efformet Medicinam; multum fidat auctoritati, plus tamen sibi, longe plurimum Naturae.

**Seinen innigstgeliebten  
E l t e r n,  
aus  
unbegrenzter Liebe  
und  
Dankbarkeit.**



**H**omo, ens rationale, spectato animo regnum proprium — rationale et morale — sibi vindicans, spectato corpore est: *Animal vertebratum mammale, bimanum bipes, quadrumanis simiis finitimus, ubique locorum essentialiter idem, adeoque unicus, plures tamen varietates admittens.* — A reliquis animalibus corporis etiam indole plurimum differt, quamvis eundem typum primitivum sequens, multa cum iis communia habeat.

Ut vero praecipui hominis characteres, locusque, qui ei in natura debetur innotescant, eundem 1-mo cum ceteris animalibus, et dein 2-do homines inter se, brevibus hic comparare placuit.

## C a p u t I.

### De differentiis inter hominem et cetera animalia.

Auctores quidam, qui notas distinctivas animalium, in horum praecipuis, oculosque maxime ferentibus characteribus collocant, methodum hanc ad hominem etiam applicando, ens isthoc eo. quod sit provisum: manibus duabus (extremis superioribus, pollice, seu digito a reliquis sejuncto, omnibusque aliis opponendo, instructis) duobusque exclusive terram calcantibus pedibus, dentibus item incisivis inferioribus verticalibus, mentoque prominulo, a reliquis discernunt animalibus. Ingens ceteroquin copia attributorum aliorum, notarumque tam anatomicarum, quam physiologicarum — imprimis facultas cogitandi — magnum illud, quod inter homi-

nem, aliaque animata, intercedit discriminè clarissime evincit. Ut vero istud uberiorius innotescat, hominem 1-mo *speciatim*, seu individualiter, tum 2-do *collective*, seu ut ens sociale, destinationem nempe generis humani in his terris adimplens, considerabimus.

## Sectio I.

### De homine speciatim.

Praecipuae differentiae, quae respectu hoc inter hominem et cetera animalia locum habent, sunt sequentes:

I. Peculiaris quorumdam Systematum, organorum, horumque functionum in homine conformatio. Sic:

1-mo. *Syst. vasorum*. Situs cordis obliquus (in paucis Simiis occurrens) arteria thyreoidea utrobique duplex, defectus retis mirabilis, cum quibusdam mammalibus, uti bradyo communis. Rete mirabile constituit *ramificatio carotidum internarum*, ope anastomosium junctarum, quo fit, ut impetus sanguinis apud reliqua animalia in cerebrum imminuat. Homo ad situm erectum destinatus simili apparatu nequaquam indiget.

2-do. *Syst. nervosum maxime concentratum*. Cerebrum, primum utpote, essentialeque intellectus instrumentum, majus, gravius, magis complicatum, et in quibusdam suis portionibus, imprimis lobis anterioribus, qui sunt organa altiorum mentis facultatum, magis evolutum deprehenditur, quam apud quaecunque alia animalia. Nullum etenim aliud, si e Simiis *Jocko*, si glires, et minimas avium excipias, relate ad corpus tantam offert substantiae medullaris, visque nerveae, ac illud hominis concentrationem. Haec ingens massa, quae in vicinia, et in medio sensuum, quibuscum correspondet, residet, admirandam illam, solique homini in tam eximio gradu propriam facultatem cognoscendi abunde explicat. — Interim quemadmodum cerebrum apud hominem; ita medulla

spinalis apud alia praedominatur animalia, quae, prout et nervi ex illa originem sumentes, cum ad motus ciendos contribuat, patet quod hi tam quoad vim et extensionem, quam quoad durationem notabiliores sint in animalibus ac in homine. — Multi asseruerunt, hominem habere cerebrum absolute maximum (4 lib. Cerebrum Cuvieri appendit 65 unc. 5 dr. 3 gr.) interim Balaena habet multo majus. Secundum Sömmerring pars centralis parti periphericae in homine praevallet, id est nervorum crassities relate ad cerebrum est minima. Ceterum omnia demonstrant maximam in homine concentrationem illius agentis, quod simul fons est non tantum totius physicae sensibilitatis, sed et omnis intellectualis, moralisque facultatis.

### 3-tio. *Systema osseum.*

a) *Caput*: Cranium cum facie comparatum molis maxinae, e cranio magno sequitur et vita psychica altior, nam cranium continet partem centralem systematis nervosi et sensus superiores, ut: visum, auditum; facies e contra vitae vegetative, nempe: masticationis, et sensus inferiores: olfactum et gustum. Maxillae superiores multum retractae, angulus itaque facialis Camperi maximus — minimus 70° maximus 80° ad rectum accedens, in simia Satyro 58° —, defectus ossium intermaxillarium; mentum prominulum; foramen occipitale fere in medio basis cranii.

b) *Truncus*: Vertebrae latae, breves, deorsum versus mole crescentes, processibus spinosis brevibus; costae multum arcuatae; sternum tribus ad summum portionibus compositum, pelvis veri nominis, ossibus eius brevibus, latis, insigniter excavatis.

c) *Extremitates*: Superiores cum inferioribus collatae breves, et graciles, minus vicinae, agilissimae, junctura humeri cum scapula liberrima, radio multum mobili; ossa metacarpi et digitorum lata, insigniter excavata. — Inferiores longiores, firmiores, viciniores, minus agiles, juncturis femorum ope colli, sub angulo inserti, cum coxis profundiori-

bus, ossibus sessamoideis multis et magnis, ligamentis firmis etc. Pes cum crure sub angulo recto iunctus, latus, dorso multum convexo; tarsus et metatarsus cum digitis brevibus collati grandes. Ex quibus omnibus patet, extremitates inferiores sustentando corpori dicatas esse.

4-to) *Syst. musculosum.* Musculi caput moventes, proit et cutanei, serrati item antici majores, et extremitatum superiorum cum inferioribus camparatarum minus evoluti, contra musculi trunco et extremitatibus inferioribus extendendis destinati, glutaei imprimis et gastrocnemii fortissimi. (Adianus Spigel dicit: hominem ob evolutionem musculorum glutaeorum ad situm corporis erectum esse destinatum).

5-to. *Organorum sensuum externorum*, tamquam appendicium Syst. nervosi perfectio et aequilibrium.

a) *Visus:* vicinitas oculorum — in simiis major — axis oculi in statu quietis horizonti paralela, antrorum et extorsum sita, parvitas palpebrae tertiae, cuius vestigium est plica semilunaris, defectus musculi choanoidei, bulbum retrahere valentis, reliquos musculos bulbi infundibuli instar cingentis — cum simiis communis — cilia in utraque palpebra, quo tamen charactere cum plurimis concordat mammalibus.

Gaudet homo, visu acri, inque situ naturali magnam complectitur peripheriam, hoc tamen respectu a multis superatur animalibus. Sic aquilla praedam suam in ingentibus saepe conspicit distantiis, quo in casu, prout omnes aves rapaces, oculos distantiis accommodat. Linx, Tigris, et Leo insigni aequa ac late extenso gaudent visu. Animalia nocturna tantam possident visus sensitatem, et in densissimis etiam tenebris bene videant. Etsi igitur animalia quae-dam instrumentum dioptricum homine multo perfectius a natura obtinuerint, nihilominus tamen homo, independens a physicis, materialibusque objectorum, oculos suos ferientium, impressionibus, attentionis, reflexionis, abstractionisque operibus multa in his detegit, quae aliorum animalium in aeternum fngiunt visum, hocque ipso visus acrimoniam supplet. Ille

sensus proprii ope pulchritudinem et elegantiam formarum, amabilitatem et majestatem lineamentorum, luxuriam et harmoniam colorum aestimare novit. Quid relate ad haec oculi Aquillae, aliorumque visu acerrimo praeditorum animalium.

b) *Auditus*. Auricula s. lobulus, communis cum pluribus simiis; immobilitas auris, ob neglectum movendae huic parti destinatorum muscularum exercitium.

*Auditus* homini subtilis, beneque evolutus est, multa tamen animalia hoc quoque sensu hominem superant. Huc imprimis pertinent species animalium meticulosorum, uti Lepus etc. qui a longinquo de periculo sibi imminentे auditus ope edocetur; huc referuntur animalia subterranea, et in tenebris degentia: Talpa, Vespertilio, Aves nocturnae; huc quoque spectant aves quae nos cantu delectant ect. — Quamvis igitur homo, quoad facultatem, debilissimos etiam tonos a longinquō percipiendi, horumque harmonicas differentias distinguendi, a pluribus supereretur animantibus, innumera tamen adsunt attributa, quae huius etiam sensus sphaeram in homine augere, eumque illo reliquorum animalium nobiliorem reddere queunt. Hujus enim sensus ope vox humana cunctis suis cum accentibus, loquelaque, sine qua ratio excolli non posset, perficitur, ut adeo *auditus* in homine sit sensus praecipue intellectualis, fonsque plurimarum ceteris animantibus incognitarum sensationum.

c) *Tactus* in homine absolute perfectissimus, non tantum ob nuditatem, laevitatemque cutis — haec apud Cetacea est major — sed et ob peculiarem manum, harumque imprimis digitorum, quorum apices principale tactus instrumentum efficiunt, conformatiōnem. Nervus medianus, qui praecipue in apicibus digitorum distributus, papillas efformat, apud hominem insignis molis, notabilem iam apud Simiam — animal homini vicinissimum — offert degradationem.

d) *Olfactus*. Nasus prominulus — communis cum simia rostrata et mammalibus proboscidem gerentibus — defectus

peculiaris organi saccum referentis in fundo cavi narium, et communicationis cum cavo oris ope foraminis incisivi.

e) *Gustatus.* Lingua tenui epithelio tecta, insignique nervorum copia, qui hic papillas innumeras diversi generis efformant, provisa.

Sensus olfactus et gustus ob arctum nexus cum praedominantis, apud reliqua animalia, vitae vegetativae functionibus, in quibusdam magis ac in homine sunt evoluti; subtilitate tamen et teneritate horum sensuum animalia cuncta homine multo sunt posteriora. Ex exquisita sensuum istorum subtilitate explicatur, cur homo in selectu et praeparatione alimentorum tam accuratus, in fovenda munditie tam scrupulosus sit? Excretiones quaedam nostrae, non alia ex causa, quam ob inamoenam in sensum olfactus impressionem nauseam in nobis excitant. Nil horum reperies in aliis animalibus.

6. *Organa digestionis.* Dentes aequales, serie nusquam interrupta dispositi, adproximati, incisores inferioris maxillae ad perpendiculum inserti, motus maxillae inferioris in omnem partem concessus, intestinum tenue plicas et villos junctim exhibens. Praeterea homo unicus est, qui escam, quam alia, et quidem plurima, animalia immediate ore excipiunt, aut etiam extremitatibus posterioribus prehensam, prout id Simiae et nonnulla unguicula facere possunt, ori subministrant, non aliter, quam solis tantum manibus exceptam, ori tradit.

Tota autem hominis organisatio comprobat eundem *panphagum s. omnivorum* esse, qui character etiamsi homini exclusive non competit, fatendum tamen nullum aliud dari animal, quod tantum, ut homo, alimentorum haberet selectum. Vivit tamen homo cibo etiam alterutro solo sine molestia; et quemadmodum parte ex una victu etiam simplicissimo corpus sustentare valet; ita ex adverso ingentem etiam dapum luxuriam perfert. Homo praeterea solus est, qui praevia plurimorum alimentorum eget praeparatione, quive compositis, fermentatisque uti valet potulentis.

Quod vero partem reliquam functionum vitae vegetativae attinet, nullum peculiare inter hominem et reliqua animalia obtinet discrimen. Sic: Resorptio, Respiratio, Circulatio, diversae Secretiones, Thermopoësis, pari modo, ut in homine procedunt, imo plurimae harum apud alia animalia majori cum alacritate et energia perficiuntur (aves) ut adeo in genere recte dici possit, animalia in omnibus, quae vitam vegetativam attinent, homini aut paria, aut eodem plane superiora esse. Ab hac vitae vegetativae alacritate repetenda venit celer omnium organorum evolutio, totiusque corporis animalis, si aves nonnullas, aliquos pisces, et quaedam mammalia, in specie vero elephantem excipias incrementum. Corpus humanum primum 15—25 aetatis anno organisationis suae perfectionem plenariam attingit; nullum aliud animal mammale, qualemunque illius volumen corporis, vitaeque duratio fuerit, tanto eget pro aetate virili consequenda tempore. Longa igitur est homini infantia et juventus, sed et vita diurna, attamen et hoc respectu a nonnullis superatur animalibus.

### 7. *Organa Genitalia.*

a) *Muliebria.* *Hymen* apud *Virgines*, et *Carunculae myrthiformes*, vestigia hymenis, apud mulieres — *Haller* et *Blumenbach* characterem diagnosticum mulieris humanae se in his detexisse credebant; interim *Cuvier* has partes in aliorum quoque animalium femellis, nominatim vero in *Elephantibus* detexit; ut adeo resistentia, quam virgo juvenis, primo viri amplexui opponit, comparata cum promptitudine femellae animalis sub iisdem circumstantiis, pudicitiae eidem ingenitae potius, quam physico illi impedimento, quod natura primae voluptatis carnalis expletioni opponit, adscribenda. — Uterus pyriformis, non cornutus, cavo indiviso, fibris muscularibus extra tempus graviditatis non conspicuis (cum edentatis communis).

b) *Virilia.* Plena separatio Tunicae vaginalis testium a cavo peritonaei. In plurimis animalibus et in statu sano testes valent intrare abdomen. Penis pendulus.

Libido in venerem nequaquam ut in plerisque animalibus certo alligatur anni tempori. Peracta foecundatione, subsequaque conceptione, ac durante postmodum toto graviditatis, lactationisque tempore femella animalium irrationalium marem vitat; femina e contra humana et in hoc statu veneris indulget deliciis, solaque reflexio moralis, nec non timor inferendae soboli utero reconditae noxae optimas matrum a coitu deterret.

In muliere vita sexuali vigente cruentum e partibus genitalibus profluvium, singulis mensibus rediens si e Simiis *Orangoutang* excipias, apud nulla alia reperies animalia; sed et in illis, in quibus locum habet nequaquam tantae, ut in organismo feminae humanae videtur esse dignitatis. — Longe denique est alia in femina humana, ob peculiarem uteri et pelvis conformatiōnē parturiendi ratio.

Somnia voluptuosa, subsequentesque pollutiones nocturnae in hominibus a venere abstinentibus, frequenter obviae, apud reliqua animalia non occurunt. Illicita quoque, et nefanda masturbatione procurata voluptas, plurimis incognita est animalibus. Observatur quidem haec in nonnullis, libidini multum deditis speciebus, v. gr. simia, urso, cane; ast non alias quam tunc, si mas longiori a femella separatus sit tempore. — Quae causa quaeso, quod scelus isthoc omni abominatione dignissimum, legibusque naturae, et propagationi speciei e diametro oppositum, inter homines magis, quam inter reliqua grassetur animalia?

II. *Situs corporis erectus.* Ad celsum et erectum corporis situm hominem a natura destinatum esse, satis patet ex iis, quae supra de organis motus dicta sunt. Accedunt: ligamentum nuchae imperfectum; violenta collocatio extremitatum sub incessu quadrupedo; situs cordis, quod in hominē diaphragmati, in mammalibus sterno incumbit; ortus vasorum magnorum; peculiaris fabrica venae cavae inferioris; distributio carotidum internarum: situs oculorum et nasi; demonstrant situm hominis erectum pili, qui soli obversi maxime

sunt evoluti; denique experientia, quae docet, ubique terrarum, homines etiam ferissimos bipedes incedere, infantes prima vitae periodo, ut primum viribus pollere incipiunt, omnem nisum eo dirigere, ut pedibus insistentes, situm acquirant verticalem. Conatus hic a simili repetendus est instinctu qui ad alas, antequam hae pennis tegantur, movendas parvas incitat aviculas. — Situs autem hic homini ita proprius est, ut nullum aliud animal, nequidem Simias, homini maxime affines, eximendo, ad hunc longiori tempore servandum cogi possit. In hoc situ homo omnibus aliis imponit animalibus, fortissimaque etiam illorum in homine suum agnoscere videntur domitorem et magistrum.

III. *Loquela*, inter cuncta creationis entia soli tantum competit homini, quamvis facultas sonos articulatos, seu voces proferendi paucis etiam propria sit avibus; attamen prolatae hae ab avibus, nullum sensum habentes voces, sunt tantum imitationes tonorum in sphæram auditus, et non aliorum, spectantium. Solus itaque homo est, qui loquendo, sensationes et cogitationes suas aliis communicare valet. Donum tamen isthuc linguarum in homine, minus ab organisatione oris, et laryngis, quam potius a certa et speciali quadam, aliis animalibus haud communi, cerebri eiusdem dispositione dependere videtur. Denique

IV. *Ratio*, pretiosissimum Creatoris divini donum, et *Moralitas*, cum rationis usu necessario connexa, hominem ab omnibus animalibus segregant, meliorem eius partem e legibus necessitatis eximentes, distinctum ei regnum vindicant.

### Sectio III.

#### Homo collective, seu ut ens sociale consideratus

I. *Incolatus mundi*. Si immensum hoc, in quo genus humanum per orbem terraicum, disseminatum est, spatium attentius consideraverimus, facile convincemur de eo, nullum

aliud animal, excepto cane, cum homine, totius terrae incola, comparari posse. Animalia enim certis alligata sunt zonis. Dantur quidem species quaedam aquatice (animalia et plantae) quae tam in Septemtrione, quam Meridie deteguntur, sed hae in profundis degunt marium, diversis adeoque temperaturae aëris atmosphaerici vicissitudinibus, minus sunt obnoxiae ac animalia terrestria. Homines autem non tantum diversissimas incolunt orbis terraue latitudines; sed et pro libitu clima variare, extremisque etiam semet accommodare valent.

*II. Vita socialis.* Etiamsi haec homini, rem generatim sumendo, absolute non competit; si tamen animalia in societate viventia, imprimis formicas, apes etc. cum vita sociali attributo humanitatis comparaverimus, profecto deprehendemus hanc, tam relate ad motiva, ob quae coalescit, quam commoda, quae ex illa promanant, omnibus aliorum animalium associationibus, multo superiorem esse.

Ad vitam socialem colendam hominem reipsa a natura destinatum esse, multa probant tam organisationis illius physicae, quam status eius moralis momenta. Nascitur ecquidem homo flens, summe debilis, omnibus ad sustentandam, conservandam, tuendamque vitam mediis destitutus, vixque natus morti jam etiam esset proximus, ni indefessa illorum, quibus vitam in acceptis referendam habet, cura conservaretur, illiusque educatio physica et moralis promoveretur. Proles adultiores mox parentibus, etiam auxiliatrices solent praebere manus, sive exoritur prima societas, parentalis nempe, cuius singula membra in commune bonum collaborant, mutuisque benevolentiae et gratitudinis vinculis arctius sibi uniuntur.

Ast homo, qui cuncta inter animalia vivacissima gaudet sensibilitate, plurimisque concupiscentiis et necessitudinibus obnoxius, paucissima his occurendi possidet media naturalia, qui adversus vicissitudines atmosphaerae corpus vestibus munire, sibi alimenta procurare, contraque innumera, quae ei aut molesta, aut perniciosa sunt, animalia semet defendere cogit, his etiam ex motivis ad societatem sibi similium

quaerendam incitatur, sic enim tantum fieri potest, ut is, qui prius solitarius inermis, debilisque fuerat, nunc summum potentiae suae attingat fastigium, evolutisque viribus suis physicis et moralibus, mutua cooperatione, prodigiosorum in effectum deducendorum capax reddatur operum.

Homines in societatem coalescentes, perceptibilia quae-dam signa adinvenerunt, linguamque composuerunt, cuius ope sensa, cogitationesque suas mutuo sibi communicare queant. Primis dein vitae sustentandae necessitatibus satis-facturi construxerunt sibi tuguria, piscatura et venatio ali-menta, occisorum autem animalium pelles amictum suppeditarunt. Quamvis vero haec in incunabulis societatum, rem stricte sumendo hominibus omnino suffecerint; mox tamen increcente luxu, multiplicatae sunt illorum concupiscentiae auctae necessitates, sed per industriam humanam, exortum-que commercium multiplicata sunt etiam media, quibus homi-nes commoditates vitae facilius procurarent, sicque materialem suam firmarent felicitatem.

Interim homo non tantum vivere, sed et cognoscere cupit; hinc objecta, quae in sensus suos cadunt, quaeve in suum convertit usum, altius adspiranti illius animo non amplius sufficiunt; ac ideo homo ideas suas generalisando, na-turam rerum, harumque relationes scrutatur, examinat phoe-nomena, inque principia inquirit, verbo scientiis, theoriisque artium fundamenta ponit; ratione denique sua ad agnitionem *Dei*, quem animo, cordeque adorat pervenit.

Distinguitur porro homo a reliquis animalibus anticipata quoque *moris* cognitione. Animalia irrationalia etiamsi quoti-die multa eorum interire videant, id tamen ne minimum quidem securum, in quo vivunt, statum turbat. Homo autem vix derelictis infantiae annis, terminum iam etiam vitae pree-videt suae, huncque, quem iam magis, iam minus horret, omnibus removere nititur viribus.

Invadit vero hominem mors praegressa potissimum caterva debilitatum, dolorum, et morborum, quae mala omnia ratio

eiudem vivendi necessario fere post se trahit. Nullum aliud animal tot tantisque obnoxium est morbis. Moriuntur haec potissimum inopinate, aut dum homini, vel aliis animalibus in nutrimentum cadunt, aut dum seram attingunt senectam. Senio confecti homines moriuntur paucissimi; plurimi morbis, aliisque succumbunt calamitatibus. Multi violentas sibi inferunt manus, paucosque vitae suae dies ipsi abbreviant, multorum ab aliis crudeliter, violenterque abbreviantur. Ceterum sit finis transitoriae vitae huius terrestris qualiscunque, homines tamen omnes, secundum id, quoad vixerant, *Spes aut timor futurae manet vitae aeternae.*

**III. Cultura humana.** Genus humanum culturae capax esse, historia diversissimorum populorum, qui ab initio rudes et inculti, sensim sensimque summum culturae gradum attigerunt, clarissime evincit. Animalia respectu hoc nullos faciunt progressus, sic favi apum, tela araneorum, domicilia castorum, etiamsi nos in admirationem rapiant, a seculis tamen jam eodem perficiuntur modo, suntque solummodo producta Instinctus coeci, cuivis speciei proprii.

**IV. Primatus hominis** jam ex hac usque dictis sufficienter elucet. Ille super terram, aerem, ignem et aquam dominatur, ille fortissima etiam sibi subjugat, domat, et in suos convertit usus animalia, uti id: Equus, Bos, Cervus tarandus, Elephas, Lama, Camelus, abunde testantur.

## C a p u t III.

### De differentiis hominum inter se.

Characteribus priore capite recensitis, omnes homines inter se conveniunt, ad unum idemque genus procul dubio pertinentes, nihilominus tamen tam singuli homines, quam integrae gentes plurimum inter se differunt; magnitudine, conformatio[n]e corporis totius, aut singularum eius partium, praecipue capit[is], harumque proportione, colore et reliqua